



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet**

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &  
Festos, ab ipso Auctore confectus

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1651**

9. Temerarium iudicium, quàm graue sit peccatum, & cur?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45699**

Putabit quis ea iudicia non esse magni momenti, cum intra cogitationem orta, intra cogitationem illico occidant; aut certe, si pertinacius hærent, ultra cogitationes non progrediantur. Verùm res secus euenit. Siquidem & alterum sua priuant existimatione, & iudicantem obligant ad opinionem temerè iudicatio restituendam, suamque retractandam; quod cum & rarò fiat, & difficilè sit exequi, quia opinionem semel conceptam humani ingenij pertinacia non libenter mutat, fit vt is, qui ita iudicauit, iudicium suum ad iudicium & tribunal Dei secum, ex hac vita, plerumque auferat, cum periculo æternæ damnationis. Et, ne quis putet, Comitum quidem iudicium quod innocentem coniugem catenis oneratam, ad canes damnauit, grande quid patrasse; suum autè iudicium innoxium esse, neq; ad tam crudeles pœnas decernendas procedere, sciat, quicumque, apud se se, alterum cum temeritate iudicat mortaliter peccauisse (quo pacto homines creberrimè iudicant) illum, quantum in se est, non ad catenas, aut canes alterum, sed ad longè atrociora supplicia, nempe ad æternum carcerem, & æternos ignes damnare. Quid enim aliud facit, qui alterum iudicat lethale peccatum commississe, quàm vt iudicet, eum æternis supplicijs dignum esse? & non ad Caucasum, sed ad rogum damnandum esse, caminumque ignis, qui numquam extinguetur?

Quod iudicium cum ad solum Dei tribunal pertineat, cuius est scrutari corda & renes, & illuminare abscondita tenebrarum; consequens est, vt Dei iudicium vsurpet, qui de corde, seu voluntate, & occultis alterius iudicat. Sicut ergo magnam Iudici sæculari, aut Ecclesiastico iniuriam irrogaret, qui, eo de tribunali suo deiecto, se ipsum, per vim ingereret, atque sedens in illo iudicaret; ita in vniuersalem viuorum & mortuorum Iudicem Christum iniurius est, qui fratrem, aut proximum suum iudicat gehenna dignum. Prima iusti iudicis conditio est, *Authoritas legitima*; qualem habent indices ordinarij, aut delegati, aut etiam arbitri (iure gentium) quibus se, & quorum iudicio nonnulli vltro subiiciunt. Qui sine eiusmodi potestate alterum iudicat, inuasor est, tyrannus est. Hinc illud ei dicitur: *Tu quis es, qui iudicas alienum seruum?* Et istud: *Vani est legislator & index, qui potest perdere, & liberare.* Tu

IX,

X.

S. Thom. 2. 2.  
q. 60. a. 6.

Sot. lib. 3. de  
iustit. q. 4. 2. 6.

Rom 14. 4.  
Iac. 4. 12.

D d d 2

ANSTON